

Le texte qui a servi de base à cette édition est celui des *Poemata omnia* publié à Amsterdam, en 1639, chez Johannes Ravesteynium.

## ELEGIARUM LIBER I.

ELEGIA AD HENRICUM BORBONIUM, PRIMUM GALLIAE PRINCIPEM, ANNO MDXCIIX.

E\_1 v.1 Regia progenies, quem Francica gentis origo  
 2 Borboniis veteri stemmate nectit avis,  
 3 aspice luminibus, princeps Condaee, serenis  
 4 carmina sub Batavi sidere nata soli,  
 5 ingenio quae digna tuo quicumque negarit,  
 6 nil agit, atque reum qui fateatur habet.  
 7 Et tamen haec teneros defendi culpa per annos  
 8 quiverat exemplo si paterere tuo.  
 9 Nunc abs te veniam quo possim jure mereri,  
 10 qua sperare fide quam tibi tute negas ?  
 11 Namque triumphatis naturae legibus annos  
 12 anticipans pueros non sinis esse rudes.  
 13 Hactenus aetatem segni praetendere culpae  
 14 fas fuit ; auspiciis nunc decet ire tuis.  
 15 Sed tamen est aliquid quod nos defendere possit,  
 16 istaque, se, imparitas quo tueatur habet,  
 17 an nihil est patriae dici spes altera terrae,  
 18 tot proavos reges, tot numerare duces ?  
 19 Non tantum dat regna genus famamque decusque,  
 20 magna sed ingenium stemmata majus habent.  
 21 Imbelles aquilae numquam genuere columbas ;  
 22 nulla leonino sanguine cerva sata est.  
 23 Emicat augustis penetralibus edita virtus,  
 24 duret ut aeterna nobilitate genus.  
 25 Nos humiles animae privatis claudimur umbris ;  
 26 obsita degenerum pectora torpor habet.  
 27 At tu, magne puer, cresces majoribus ipsis  
 28 major, et excelsae gloria prima domus.  
 29 Siqua fides vati, te Gallia principe sese  
 30 efferet, heu longis Gallia pressa malis !  
 31 Quae nunc ille tuus positus rex sustulit armis.  
 32 Saecula majorem nulla tulere virum ;  
 33 te videant ventura parem, tu proxime Regi

34 sanguis in illius tramite pone pedem :  
 35 ille tibi munivit iter, virtutibus ille  
 36 exemplum felix auspiciumque dedit.  
 37 Illius in causa meritum Fortuna secuta est,  
 38 noluit et caecae nomen habere deae ;  
 39 tempore jam ex isto vobis sors prospera servit  
 40 fataque Borboniam sunt venerata domum.  
 41 Jam tibi tota cohors famulari sponte deorum  
 42 incipit, ut vacuum suspicer esse polum.  
 43 Molle tibi ingenium, moresque effingit Apollo,  
 44 commodat et sociam docta Minerva manum.  
 45 Quin, nisi fallor, apes quondam nascentis in ora  
 46 dulcia Hymettaeis mella tulere favis.  
 47 Nunc etiam Musas festas agitare choreas  
 48 incluta discipuli principis aula videt.  
 49 Integer in terras adeo cum migret Olympus,  
 50 interea caelum, Mars, tibi solus habe.  
 51 Forte tuis melius sacris operabitur olim  
 52 extera regali tractus ad arma tuba :  
 53 cum Constantini Francis spohianda tropaeis  
 54 urbs erit (hunc metuas, perfide Turca, diem)  
 55 aut veteres Solymos et lamentabile regnum  
 56 asseret ense sibi vindice Gallus eques.  
 57 O si saeva semel capiat discordia finem  
 58 nec privata malus commoda quaerat Iber,  
 59 quoque patet Christi divinum limite nomen  
 60 Europa interno libera Marte foret,  
 61 nil Scythici fastus, nil sit Saracena tyrannis  
 62 quaeque Muhammedes somnia finxit Arabs.  
 63 O mihi tam longae currant bona tempora vitae  
 64 ut videam clades, gens Otomanna, tuas,  
 65 sacraque Condae victricia principis arma,  
 66 victaque inhumanae nomina barbariae ;  
 67 non mea Bargaeo concedat Musa cothurno :  
 68 tam celsos Syrias tollat ad astra modos.  
 69 Jordanes, te, parve, canam, cui languidus amnis  
 70 prodiga palmiferis per vada serpit aquis,  
 71 qualiaque umbrosae sudarint balsama valles  
 72 quamque Sionaei verticis aura juvet.  
 73 Te feret incinctum laurum sacra tempora, Princeps  
 74 magne, coronatis currus eburnus equis.  
 75 Quo feror, ut thyrsos concussae pectora Bacchae ?  
 76 Quo rapiunt elegos fervida vota meos ?  
 77 Sit satis : ut noris, quod te nescire negarim,  
 78 vivere mancipii me tibi jure tuum.  
 79 Atque utinam, sicut satis est mea plena voluntas,  
 80 non et monstrandi copia parva foret.  
 81 Nunc quia deficiunt vires, quod possumus unum,  
 82 mittimus exiguas carmina vatis opes.

## AD DOUSAM

PRO SUA REPUBLICA BATAVA ATHENIENSI ATQUE ROMANAE COMPARATA.

E\_2 v.1 Dousa, pater vatum, miraris credo, pedestris  
 2 serpserit ad vestros quod mea carta lares,

3 cumque ego Musarum te sim duce castra secutus,  
4 dissidii fuerit quae mihi causa, rogas.  
5 Nocturni monitus, et somnia proxima vero,  
6 quae Cornu, fallax an mihi misit ebur.  
7 Crede, Deas vidi. Sed non quas pastor ab Ascra  
8 viderat ingenio numina amica meo.  
9 Prima tenens aequam librato pondere lancem,  
10 ex cultu potui discere, Graia fuit.  
11 Dicta inerant suggesta togae, portusque, salumque  
12 et tua cum patruo pugna, Minerva, tuo.  
13 Hinc dictis populus pendens, hinc Curia Martis,  
14 hinc Cereris luctus Persephoniaeque faces.  
15 Nec sortes aberant, nec qui pensabat honores  
16 calculus, exstantes dum premit urna viros.  
17 Cecropis aspexi vultus, et Thesea, et illos  
18 qui bene pro patria non metuere mori.  
19 Et Periclem, et Persis horrenda Themistoclis ora,  
20 porticus, et quicquid gymnasiumque dedit.  
21 Altera victrices aquilas et pila gerebat,  
22 et fasces, Latias ore imitata nurus.  
23 Romulus in veste stetit, et Numa pictus eadem,  
24 magnaue Threicio pectora vota Deo,  
25 Fabricii Decique, et nobile nomen Horati,  
26 Byrsaue Scipiadam bis superata manu.  
27 Rostratique duces ; hinc curia plena triumphis,  
28 inde tribuniciis plebs agitata dolis.  
29 Mille trahebantur captorum corpora regum,  
30 ultima sed patriae victima Caesar erat.  
31 Tertia lixivio flaventes lota capillos  
32 ibat ; in ore notae simplicitatis erant.  
33 Huic dabat ipse sui Neptunus jura tridentis,  
34 et famulas Nereus pone trahebat aquas.  
35 Ipse diu quaerens agnovi pilea tandem  
36 calcatumque jugum, Nassaviosque duces  
37 et simul heroas Batavos magnaue nepotes  
38 stirpis, ab antiqua nomina ducta domo.  
39 Cum bene perspexi, "Salve, mea patria" dixi.  
40 Illa nihil contra : patria tristis erat.  
41 Mox tamen in geminas oculis invecta sorores,  
42 infesto querulos prodidit ore sonos.  
43 Jam satis hic vestris miles sudavit in armis,  
44 cui debent aliquid pallia, plura togae.  
45 Testis erit Felix, cum Caesare testis Aratus  
46 et Cicero, ille tuum, Martia Roma, decus.  
47 Ut taceam versus vestri sermonis, Athenae,  
48 quos dedit, et Latiis carmina lusa modis.  
49 Vos sibi devinxit, sed nil dum praestitit illi,  
50 quam tetigit tenero corpore natus humum.  
51 Hactenus indultum est : quae maxima poscimus, aetas  
52 dum negat, et ferri tam grave nescit onus.  
53 Nunc humeris vires, roburque accessit ab annis,  
54 nunc dicam, meus est, injiciamque manum.  
55 Sat placuit Batavis Romana vel Attica Siren  
56 auribus, illa tuis meta terenda rotis,  
57 libera qua currus victoria volvit ovantes  
58 et res in roseis publica fulget equis.

59 Dic Albae Parmaeque minas, et crimina regis,  
 60 quae fuerint nostris causa facesque malis ;  
 61 dic socium Gallum, tractosque in foedera reges,  
 62 Anglus et in bellum quo duce miles eat.  
 63 Hinc tibi laus surgat : Batavum te littora credant  
 64 ultima, cum patriae nomine crescat honos.  
 65 Palladis urbs pugnam pro se Marathonis in arvis  
 66 ceperat, et victas tot celebrare rates.  
 67 Roma suis omnem subjectum legibus orbem,  
 68 imperii, et fines solis utramque domum.  
 69 Tum pariter cum regna tibi, cum bella placebunt,  
 70 si sapis, a nobis, non aliunde petes.  
 71 Magnus amor patriae est, et gloria magna Quiritum ;  
 72 laudat Erechthidum tempora fama vetus.  
 73 Haerebam dubius, Paridisque exempla timebam :  
 74 juverit una licet, plus nocuere duae.  
 75 Ite pares hinc, ite pares, me iudice, divae,  
 76 nobilis in scriptis triga futura meis :  
 77 vosque valete, leves curanti seria nugae :  
 78 ordinibus Batavis hoc vigilatur opus.

DACTYLIOTHECA GORLAAEI.

E\_3 v.1 Annule Principii nusquam pereuntis imago ;  
 2 et cui vel finis nulla, vel ipse tibi ;  
 3 annule, qui Caeli specie redeuntis in orbem  
 4 telluris cohibes omniparentis opes ;  
 5 annule, qui rigido lapidem redimite metallo,  
 6 fixa Promethea vincula rupe refers ;  
 7 annule, qui tribuis quod jus Natura negavit,  
 8 ingenuosque tuo solus honore facis ;  
 9 annule testis opum, quo plebs Romana carere  
 10 cogitur, angustus quem sibi clavus habet ;  
 11 annule, legati quem sacra, et iudicis aequa,  
 12 et scutata manus centurionis amat ;  
 13 annule, quem donant reges, quem donat amator,  
 14 quem fovet in tepido dulcis amica sinu,  
 15 annule, cui commissa penus, commissa supellex  
 16 servitii fures non metuere manus ;  
 17 annule, qui missae signas arcana tabellae  
 18 legitimi sacrum pignus et arrha tori ;  
 19 annule, secreti vindex : custodia veri,  
 20 qui perhibes pactis muneribusque fidem ;  
 21 annule, cui moriens, et villas credit, et agros,  
 22 tutelamque suae prolis, opesque pater ;  
 23 annule, qui pestem, foedumque arcere venenum  
 24 pectore, cui philti crederis esse loco ;  
 25 annule, qui magicae non ferris inutilis arti,  
 26 cum tua sidereis est rota picta notis.  
 27 Annule, quo solo si cedit dextra sinistrae  
 28 pallitur : armillis est, puto, juris idem.  
 29 Annule, quem minimus digitorum gessit, et index :  
 30 (scilicet hic Achares, hic Coriannos eras) ;  
 31 annule, quem poscit minimo qui proximus ungui est,  
 32 eque tuo digitus nomine nomen habet,

33 annule, subtili vis ad praecordia vena  
34     cujus inexplicita traditur ire via ;  
35 annule, quem ferro procudit et aere vetustas :  
36     optimus, argenti non grave pondus eras ;  
37 annule, sed cassum cui nunc vix sufficit aurum :  
38     tale tamen prisca laeva Dialis habet ;  
39 annule, qui totos minimo comprehendere census,  
40     qui pretium fundi claudere parvus amas ;  
41 annule, qui mistis etiam spectare metallis,  
42     unaque quem totum gemma cavata facit ;  
43 annule, qui Sarda fulges, qui vinctus Achate,  
44     quem decet ex Arabum littore vectus onyx ;  
45 annule Beryllo renitens, viridique Smaragdo,  
46     cuique Adamas, et cui fulvus Iaspis adest ;  
47 annule, qui totos hiberno Sole premebas  
48     articulos, pretii cui modus, aestus erat ;  
49 annule, per lusum cui mobile dextra sigillum  
50     ventilat, et gemmam vertit in orbe suo ;  
51 annule, Pyrgoteles duro quem incidere ferro,  
52     quemque Dioscoridae scalpere docta manus ;  
53 annule, cui scalpro quae saepe incisa figura est,  
54     haec alias caeli munere tuber habet ;  
55 annule, materies in quo ne sola placeret,  
56     saepe triumphales adjiciuntur avi ;  
57 annule, qui Sphingas, qui turpia corpora ranas,  
58     sed tamen et magnos dignus habere deos ;  
59 annule, Caesareos qui fers in imagine vultus,  
60     (ah capital Paulo quam prope crimen eras !)  
61 Annule, qui Gygi Lydorum sceptrum dedisti,  
62     qui te Perseae cassidis instar habet ;  
63 annule, at Euphratis quem contra ripa Seleuco  
64     abstulit, et regni spem dedit esse ratam ;  
65 annule, qui Samio jactura negata tyranno,  
66     quem miser, heu, nollet non periisse sibi ;  
67 annule, Cannensis quo sanguinis indice, mensa est  
68     Carthago mediis Romula castra tribus ;  
69 annule, proscriptor Noni, quo Caepio Drusum  
70     odit, et in Syllam se tulit ira Mari ;  
71 annule, quem fatum docuit Demosthenis, et quem  
72     Annibalis, celerem mortis habere viam ;  
73 annule, quem loculo valium qui condidit uno  
74     Romulea primus Scaurus in urbe fuit.  
75 Annule, quo Magni laurus ditata, Latinus  
76     cum Mithridateas Juppiter hausit opes ;  
77 annule, quem senis distinctum a Caesare thecis,  
78     marmorea Genitrix vidit in aede Venus ;  
79 annule, non unum quem sacra Palatia servans  
80     Marcello acceptum pulcher Apollo refert ;  
81 annule, te quicquid (nam non est omnia nostrum  
82     dicere) quae sequitur carta fuisse docet ;  
83 annule, qui quondam gemmis insignis, et auro,  
84     at nunc Gorlaei parva papyrus eris ;  
85 annule, quem gemmis, et quem nunc praeferat auro,  
86     quisquis erit, veterum quem monimenta juvant ;  
87 annule, priscorum Vindex redivive dierum,  
88     hei mihi, cur lucem nox premit atra tuam ?

89 Annule, qui nobis Latium, qui reddis Athenas,  
 90 hei mihi cur turpi conderis ipse situ ?  
 91 Annule, vir magnus prohibet, qui sorde remota  
 92 dat tibi candorem, quem neque gemma dedit.  
 93 Annule, si carie tamen et rubigine scabra  
 94 roderis, antiqui temporis ista nota est ;  
 95 annule, ne pudeat : numerat non pondus, at annos,  
 96 qui sapit, et vitium diligit ille tuum.  
 97 Annule, quot longos senuisti marcidus annos,  
 98 Gorlaeo totidem patre tenatus ages.  
 99 Annule, nunc te iterum procerum manus atteret, et tu  
 100 nunc iterum dignum principe munus eris.  
 101 Annule, qui thecam poreras habuisse sepulchrum,  
 102 haec, natalis erit nunc tibi, theca, locus.

EPISTOLA JACOBAE BAVARAE AD JOHANNEM PATRUUM,  
 AUCTORE JANO DOUSA PATRE.  
 CUI PROXIME SEQUENTE EPISTOLA RESPONDET GROTIUS.

E\_4 v.1 Inspicis ? An tituli novitas vetat ? Inspice : non haec  
 2 mittitur a Tungris littera scripta tibi.  
 3 Durdrehti dominum princeps Jacoba saluto ;  
 4 sed tamen, urbs, memini, cum fuit ista mea.  
 5 Omnia vertuntur : sic te Elisabetha maritum,  
 6 Ludsenberga suum nunc vocat ora ducem.  
 7 Exclamare jubet : "Quantum mutatus ab illo,  
 8 centronum ac Legiae qui modo praesul eras."  
 9 Ipsa ego, quam dominam agnoras, nunc spreta clienti  
 10 de patrua cogor asperitate queri.  
 11 Heu, terris spoliata meis, ac parte bonorum,  
 12 quae natae paulo liquerat ante Pater.  
 13 At non tantus eras, tibi cum patrona vocabar,  
 14 quum primum comitis nomen adepta fui.  
 15 Tunc mihi spondebas operam, studiumque fidele,  
 16 et fore te addictum tempus in omne mihi.  
 17 Voce, manu, simul ipse Deos in vota vocabas ;  
 18 et facere indubiam frons quoque visa fidem.  
 19 Quis non ex animo patruum haec vovisse putaret ?  
 20 At tu (pro facinus) insidiator eras.  
 21 Scilicet haud uno quaesisti crimine palmam ;  
 22 in neptim patruus, in dominamque cliens.  
 23 Perfidia, impietate simul grassatus, et armis :  
 24 ausus et ipse tuam conscelerare domum.  
 25 Scilicet hoc fuerat, propter quod praesul, iniquo  
 26 obsidio a Tungris cum premerere tuis.  
 27 Fratris ope, exemptus discrimine, redditus urbi es  
 28 ipse tuae, et poenas gens inimica luit ;  
 29 ipsius ut natam, vindex cui proximus esse  
 30 debueras, armis persequerere tuis ?  
 31 Esset ut officii mea tanti injuria merces ?  
 32 Ah, nolim manes hoc meminisse patris.  
 33 Quid precor ? Ah, patrii meminerunt omnia manes,  
 34 teque reum jam nunc proditiōnis agunt,  
 35 ingratumque vocant, dignum nec honoribus illis,  
 36 expensos toties quos tulit ipse tibi.

37 Ipsa ego, quanta tibi, praeter legata parentum,  
 38 commoda, quos titulos gratificata fui ;  
 39 muneris est nostri denis quod millibus auctus,  
 40 cum Leda Arkelius quod tibi servit ager.  
 41 Muneris est nostri, Belli quod nomine Montis  
 42 accessit titulis Hannonis ora tuis.  
 43 Scilicet auctus ope hac, in nos uti cornua vertas,  
 44 exitioque ipsi sint mea dona mihi.  
 45 Sic insperato passa (heu) sum vulnus ab hoste,  
 46 natricem in proprio visa fovere sinu.  
 47 Quid tamen hoc mirum, patruo si credula neptis,  
 48 falsaque flaminea femina fraude fui ?  
 49 Blanditiae id fecere tuae ; me frontis honestas  
 50 impulit et tutuli pontificalis apex.  
 51 Credidimus scriptis consignatisque tabellis,  
 52 pollicitis testes addiderasque deos.  
 53 Teutonicam certe illa fidem promissa mereri  
 54 visa, neque in patrum suspiciosa fui.  
 55 Necdum etiam mentis violentae eruperat aestus ;  
 56 heu, in perpetuum debuit ille premi.  
 57 Arkelium (memini) quum perfidiae ipse notares,  
 58 exemplis peccas turpius ipse tuis.  
 59 Quin grates etiam nobis (veterator) agebas,  
 60 promam adeo extollens munificamque manum.  
 61 Fassus ad haec, quod spe plura et majora dedissem,  
 62 nomine quo nobis debitor usque fores.  
 63 Heu, ubi avita fides dominae jurata Jacobae ?  
 64 Vae miserae quoties haec iteranda mihi !  
 65 Hoc erat, hoc igitur, quod jam trieterida nonam  
 66 usque sacerdotis munia spreta tibi ?  
 67 Ex quo Tungrorum delectus episcopus audis,  
 68 testatus titulos hos satis esse tibi.  
 69 Obsidii causa illa tui Legiaeque rebellis,  
 70 hei, quanto patri constitit illa meo !  
 71 Testis inundatus civili sanguine Mosa.  
 72 Ah, nolim Tungros hoc meminisse tuos.  
 73 Quos pater obsessa nisi summovisset ab urbe,  
 74 quis tibi defecto (quaeso) tulisset opem ?  
 75 At tu si incolumem voluissent fata Jacobam,  
 76 perpete debueras obsidione premi,  
 77 flaminique vicem multo sufflamine stringi  
 78 (declivi usque adeo tramite) dignus eras.  
 79 Noluit hoc genitor fidei non immemor umquam,  
 80 Pontificem cathedrae restituitque suae.  
 81 Non quia tu dignus, sed enim quia candidus ipse :  
 82 quam dispar fratris moribus ille sui !  
 83 Te vacuum siquidem prava ambitione putavit,  
 84 nec cadere in fratrem tam grave posse nefas.  
 85 Quamquam etiam tibi praesumptae, dum viveret ipse,  
 86 multa potestatis jam data signa forent.  
 87 Primum, quod sacris praesul dare nomina nolles ;  
 88 hoc animi indicium sceptra petentis erat.  
 89 Flaminis at quanto satius te munia fungi  
 90 et dare in augustos tura merumque focos.  
 91 Quam tot colla ducum ferro demessa virumque  
 92 millia tot nutu strata videre tuo ?

93 Tunc, cum caesorum calcares victor acervos,  
 94 Mosa cruentatis decolor iret aquis.  
 95 Nam quid ego hic Wordae referam munimina, paulo  
 96 annuerat precibus quam pater ante tuis,  
 97 hac lege, ut conclave inibi et nova tecta locares ?  
 98 Pro conclave sed arx aedificata tibi.  
 99 Nec tamen offensus tantae pater augmine molis,  
 100 aemula Hagesteinae jam licet illa foret.  
 101 Contentus dicto te dimisisse jocosus,  
 102 tuta quidem hospitio tecta locata tibi ;  
 103 cauto opus esse tamen, sibi ne haec substructio porro  
 104 aut soboli accideret exitiosa suae.  
 105 Vera pater monuit, mallet aedificare vetasset,  
 106 vel coeptum potius impediisset opus.  
 107 Una dies tantam potuit subvertere molem,  
 108 vix lustris spatium quae properata tibi.  
 109 Unius edicti tantum effectura potestas,  
 110 germani ambitio sic reprimenda fuit.  
 111 Ille quidem prudens praevisa pericula pridem  
 112 consiliis studuit antevenire suis,  
 113 conventu indicto, generi post funus acerbum ;  
 114 deficit hoc uno nostra querela loco.  
 115 Hostica quod facere ausa manus, mihi scribere mors est.  
 116 Sic mihi, sed tecum mors properanda fuit.  
 117 Indicto conventu igitur, se nempe putavit  
 118 sat sibi, sat natae consuluisse suae ;  
 119 in sua si proceres jurati verba frequentes  
 120 signarent scriptas publicitus tabulas.  
 121 Quarum summa fuit, ipsum si fata vocarent,  
 122 nullius subditi se ducis imperio  
 123 passuros quam (Guillelmo quae nata) Jacobae :  
 124 quattuor haec populis una futura satis.  
 125 Ordo omnis juravit in haec, majorque minorque ;  
 126 oppida, praeturae, nobilitasque frequens.  
 127 Ille quidem haec caute ; sed enim quae cautio contra  
 128 insidias potuit cui satis esse tuas ?  
 129 Quae tamen, o, te saeva animi fiducia, praesul,  
 130 induxit nepti bella movere tuae ?  
 131 Quaeve tibi attonuit aures Bellona flagello ;  
 132 regis an haec quoniam res bene cessit avo,  
 133 te quoque sperasti, viduam dum invadis et orbam  
 134 successu usurum post duo saecula pari ?  
 135 Causa mea est dispar : invitae civibus Ada  
 136 Lossensi fuerat virgo jugata toro.  
 137 Admissum quid tale mihi ? Patria auspice, nupsi  
 138 delphino, cui me tradidit ipse pater.  
 139 Quem nisi facta manu mors invidisset amanti,  
 140 haud mihi jam patrii bella timenda forent.  
 141 Improbe, quid rides ? Nisi me praesagia mentis  
 142 decipiunt, eadem te quoque fata manent.  
 143 At nihil ille mali meritus, tibi debita poena haec :  
 144 fas, noxam aequo animo, qui meruere, pati.  
 145 Quid ? Non audisti scelus hoc quae exempla sequantur ?  
 146 A patruo at poterat doctus id esse tuo.  
 147 Hunc etiam viduam Marte infestare parentem  
 148 imperii vecors exstimulavit amor.



149 Ille tamen victor (fateor), sed respice finem :  
150 eveniat nostris hostibus ille furor.  
151 Scilicet Hamatorum et Asello nomina pisci  
152 quae debet nostrae hinc factio nata domi.  
153 Quae tibi nunc cordi est, quam tu praeponere nepti  
154 audes, Egmondis fretus et Herculeis.  
155 Queis mala tot nostri retulere accepta parentes,  
156 imperio ut taceam tot data damna meo.  
157 Horum ope Gorcomium portas tibi nocte reclusit,  
158 captaque non aegre proditione sua est.  
159 At non perfidia longum laetata suorum :  
160 Dii melius, ludus quos violare tibi est.  
161 Ut meriti poenas certe hic solvere nocentes :  
162 Guillelmum ante alios scis cecidisse tuum,  
163 Guillelmum frustra contra sua frena tenacem,  
164 ultimus Arkelii nominis ille caput.  
165 Demens, quem non exilium, non arta parentis  
166 vincula fortunae commonuere suae.  
167 Tu quoque vindicibus nostris dabis improbe poenas.  
168 Statura, hei, quanto perfidia ista tibi !  
169 Nam tibi quem posthac ausis sperare fidelem,  
170 ipse nec exemplis anxius esset tuis ?  
171 Dum mihi juratos satagis corrumpere cives  
172 nobiliumque animos conciliare tibi ;  
173 hisque novas tabulas, illis addicere praedam,  
174 hos prece et armatis sollicitare minis ;  
175 proscriptos trahere in partes, queis non modo inulta,  
176 at sua laudi etiam flagitia esse jubes ;  
177 imperia his, fascisque et publica munia mandans,  
178 municipesque armans in mea damna manus.  
179 Jam constare tibi gratis coepere clientes,  
180 pollicitis dites quos facis esse tuis,  
181 aurea (militiae decus) his calcaria donans,  
182 quidquid et aurati ferre solent equites.  
183 De nostro largiris opes, largiris honores ;  
184 de nostro miles, quae meret, aera capit ;  
185 hostica dum patrias circumfers arma per urbes,  
186 injicis et dominas in mea jura manus,  
187 omnibus insidians. Nec te Goilandia, nec te  
188 arx Wordae ulterius, vel tua Narda capit.  
189 Nec mitra venerandus ades (ut praesule dignum),  
190 nec nivea innocuos velat aluta pedes.  
191 Principis in morem, turmis stipatus et armis  
192 incedis, niveo conspiciendus equo.  
193 Et (tanquam comiti) tibi fulvae insignia clavae  
194 praeferri, pompa te comitante, jubes.  
195 Haud aliter quam si, non ut nunc patruus, ipse  
196 germano frater sed mihi jure fores.  
197 Ornatusque meis (cornix Aesopica) plumis,  
198 ostentas vires, ambitiose, tuas.  
199 Quo (lymphate) ruis ? Sacra te celebrare decebat !  
200 A sacris distant quam procul arma tuis !  
201 At vidua es patre orba, inquis ; scio, non nego : quid tum ?  
202 Tutelaene igitur credor egere tuae ?  
203 Quid faceres, nisi, adhuc colores dum sacra, profanae  
204 tutelae tuus hic indignisset apex ?

205 Jam pupillares aetas mea transiit annos,  
 206 hinc tutore mihi nil opus esse scias.  
 207 Utque sit ; haud patruo mihi opus tutore : Brabantum  
 208 malo ducem, nobis hic capiendus erit.  
 209 Vel patruo invito (faveat dum Roma), parentis  
 210 germano genitus sit licet ille meae.  
 211 Nam quid agam potius genitore orbata viroque :  
 212 parte etiam regni jam viduata mei ?  
 213 Exspectemne, mihi dum te quaerente maritum,  
 214 contingat taeda principe dignus Hymen ?  
 215 Tene, inquam, neptim, quo non violentior alter,  
 216 jure tori atque opibus despoliare suis ?  
 217 Idque fuit, cur depositis mitraque pedoque  
 218 juncta tibi incestis Elisabetha toris.  
 219 Cujus et ipse sacro sobolem de fonte levaras.  
 220 Quid facis ? Ah, non sic uxor habenda tibi.  
 221 Connubii tabulas, dominam cum dote, propinquis  
 222 redde suis : Nemese vindice digna facis.  
 223 Nec vidua Antoni est Apicato digna marito,  
 224 nec gener hoc cuiquam more parandus erat.  
 225 At tibi visa parum haec, nisi nostra in commoda pecces,  
 226 insuper ac neptis impedias thalamos ;  
 227 Brabanto infensus, qui me defendere, quique  
 228 flagitiis posset obvius ire tuis.  
 229 Vincula sed ambobus cognati sanguinis obstant.  
 230 Quid refert nova dum vincula nectat Hymen ;  
 231 et mea Romanus firmet sponsalia praesul ?  
 232 Ultima quae patris vox morientis erat.  
 233 Quae placuere patri, non est mihi spernere honestum :  
 234 invidiam thalamis detrahit ille meis.  
 235 Nec tanti mihi taeda, salus sed publica tanti,  
 236 crimine quae pessum se dolet ire tuo ;  
 237 tempore jam ex illo, postquam (auspice Sigismundo,  
 238 transiit in thalamos Elisabetha tuos,  
 239 schismaticis dum consiliis et Caesare abutens  
 240 arbitrii Papam non sinis esse sui,  
 241 Caesare, ad imperii corpus, post funera patris  
 242 persuaso, sceptri res rediisse mei.  
 243 Scilicet Hollandi solii hunc non esse capacem  
 244 sexum. Quid mirum ? Res agit ille tuas !  
 245 Quo, nisi uti patruo mea praedae heredia cedant,  
 246 et patriae nobis praeripiantur opes ?  
 247 Hic scopus est, acies in quem tua diriget arcum.  
 248 O, ego tanta neget posse videre mala !  
 249 I nunc, et sceleri tutelae obtendere velum  
 250 perge tuo ; et populo, non mihi, verba dare.  
 251 Tunc, cui gladios, cui tela intendis et ignes ;  
 252 huic, (rogo) vindictis vis opus esse tuis ?  
 253 Cujus in exitium curvis Jovis unguibus ales  
 254 imminet, (impulsu concitus ille tuo),  
 255 Pontificem exterrens, rebus ne causa novandis  
 256 assensum taedis commodet ille meis.  
 257 Frustra. Etenim haud segnis viduis succurrere praesul.  
 258 Di melius, similis non erit ille tui.  
 259 Tutelam affectas ? Quid, si cum infante puella  
 260 res tibi, vel vidua desipiente, foret ?

261 Tu tamen hoc aures fucō mulcere Batavas  
 262 ausus, et insidias dissimulare tuas.  
 263 Scilicet id fuerat, Leccae cum nuper ad oram  
 264 concilium indictum municipale mihi.  
 265 Testis, quae Bellis urbs nomina ducit ab hortis ;  
 266 legati a populis huc coiere tribus,  
 267 huc proceres quantum est, cum nobilitate frequenti :  
 268 visus at hic causae nemo favere tuae.  
 269 Excipe, jam ante tuis quae pars obnoxia justis ;  
 270 excipe et Egmundos Arkeliosque tuos.  
 271 Sic patruī sic passa mei tutela repulsam,  
 272 (gratia Dis) juris sic ego facta mei.  
 273 Legitima Hannoniae a Batavis sic reddita princeps  
 274 auspiciisque meis res mea coepta geri.  
 275 Nec cessare tamen placitum tibi : scaeva cupido  
 276 obstitit, et regni non moderatus amor.  
 277 Sic tibi Durdrehti patuerunt maenia primum,  
 278 personam fronti detrahit illa tuae.  
 279 Hanc tua proscriptis pietas patefecit asylum,  
 280 damnarat frater quos capite ante tuus.  
 281 Ille quidem capitis sontes damnarat, at a te  
 282 non tantum his noxae gratia facta suae,  
 283 sed nova tecum etiam sociatae in faedera dextrae ;  
 284 foedera, fautores non habitura Deos.  
 285 Hei mihi, quid dignum scelere hoc et talibus ausis ?  
 286 Aut tibi quid tanta pro feritate precer ?  
 287 Quid, nisi uti pergas ? Primo ut quoque tempore possis  
 288 praemia pro meritis aequa referre tuis.  
 289 Perge (uti coepisti) strages cumulare tuorum ;  
 290 perge animum nostris exsatiare malis.  
 291 Nil moror : in superos perjurus, perfidus in nos,  
 292 impius, ingratus non potes esse diu.  
 293 Non potes, ultores homines habiture, Deumque :  
 294 impia qui pariter, tum pia facta videt.  
 295 Nec minus ultores manes habiture paternos,  
 296 hisque simul poenas et luiture mihi.  
 297 His, inquam, quos vel perjurae crimine linguae,  
 298 perfidia placuit vel violare tibi.  
 299 Interea (sponso dignas ex praesule) neptis  
 300 delicias facias Caesariana tibi.

RESPONSUM IOHANNIS BAVARI AD IACOBAM.

E\_5 v.1 Mitto, Jacoba, potes mihi quam debere, salutem  
 2 patruus, et quamquam non sinis ipsa, tuus.  
 3 Femineos questus et verba minantia legi.  
 4 Ista tui sexus scilicet arma moves.  
 5 Stulta, quid insanis ? Quis curatoris egentem  
 6 te neget, haec ausam scribere verba viris ?  
 7 His ego terrerer, quem non Ardvēna rebellis  
 8 terruit, excusso Mosa nec ipse jugo,  
 9 Condruſonumque ferox acies, Eburoque tumultus,  
 10 contemptrixque necis Parvisiana manus ?  
 11 Nunc tamen ecce tui Thuridres mea signa sequuntur.  
 12 Tunc dubium Legiae Praesul, an exsul eram.

13 Exsul eram certe. Trajecti maenia testes,  
14 obsidio sedes nobilitata meo.  
15 Nec tamen extremis animi fiducia rebus  
16 defuit, aut sociae, quis erat usus, opes.  
17 Nam Nemetocerna venit mihi miles ab urbe,  
18 Sequanicaeque mihi concinuere tubae :  
19 nec miserum fratrem pietas Gulielma reliquit.  
20 Dissimilis natae quam fuit ille pater ?  
21 Non pudet, et fateor ; nec enim benefacta meorum  
22 noscere, more tuo, fastus et ira negat.  
23 Si tamen huic merito, vel si quae plura fuerunt,  
24 gratia par factis nulla relata meis,  
25 umbra dabit veniam : quo me pia jura vocabant,  
26 sanguinis oblatum munus obire vetor.  
27 Saepe mihi frater lacrimis ita dixit obortis :  
28 "Per proavos Boia nomina nata domo,  
29 per tibi quae casto caput infula velat amictu,  
30 per defensa mea Tungrica sacra manu,  
31 sit natae tibi cura precor, rerumque mearum,  
32 cum cinis, et Batavis flebile funus ero.  
33 Unica quae nobis sceptri tam divitis haeres,  
34 quam vereor tantas ut bene servet opes !  
35 Nunc tamen, heu, vidua est, et tunc erit orba parente,  
36 sed vidua auxilio ne sit et orba tuo.  
37 Audiatur hoc caelum : non armis commoda sector.  
38 Quod mihi legatum vindico, cura tui est.  
39 Quam bene sanctarum voluit prudentia legum,  
40 vivat ut arbitrio femina nulla suo !  
41 Nam quota pars animi superest, ubi sola libido  
42 imperat, et pietas officiosa nocet ?  
43 Quid facerem ? Posco, quod jus dabat : arma moventur.  
44 Debitus an sperni se patietur honos,  
45 aut apud agnatam plus me Brederoda valebit,  
46 contemptusque mei testis inultus ero ?  
47 At neque Di voluere : ferox tuus ille momordit  
48 pulveream multa caede cruentus humum.  
49 Ille ferox jacet, Egmundis sua regna Vianam  
50 ausus, et Herculeis aequiparare meis.  
51 Digna quidem auctor habes civilis praemia belli,  
52 et tua jam tanti constitit ira tibi.  
53 Tu tamen infelix, et adhuc oblita tuorum  
54 quattuor, heu, populis funera quanta paras !  
55 Quae scelus hoc olim non detestabitur aetas ?  
56 Femina tutorem ne ferat, arma tulit.  
57 Sume colum, lanamque manu, muliebria nescis  
58 gesta, nec ad fusos, et tua fila redis ?  
59 Haec te cura decet, non fines Marte tuendi,  
60 publica nec moles, imperiique labor.  
61 Ille nec Augustam passus regnare, nec Adam.  
62 Nunc Batavus leges audiet ergo tuas,  
63 Zelandosque regent, et duros Hannonas, inter  
64 pensa puellaris jura petenda chori ?  
65 Nonne truces populos, et quod vicinia bellum  
66 jam parat, et circum tanta pericla vides ?  
67 Accipe me socium, defensoremque salutis,  
68 quae sine me numquam tuta futura tibi est.

69 Quid mihi te tumido patronae nomine jactas,  
70 promissamque refers voce manuque fidem ?  
71 Sive cliens tibi sum, tua me sine jura tueri,  
72 sive tibi patruus, patris obire vicem.  
73 Quid mihi perfidiae non cessas fingere crimen,  
74 ingrataeque reum proditionis agis ?  
75 At non talis eram, mea cum victoria priscus  
76 Iselsteniacae concidit urbis honor.  
77 Area nunc, vestrus prius arx fuit aemula rebus,  
78 Egundos nolim quod meminisse meos.  
79 Tunc tibi praesidium, columen, tutela, receptus,  
80 exemplum fidei nobile solus eram.  
81 Nunc ubi tot grates, blandumque sonantia verba ?  
82 In Lethes tacitas an tulit auster aquas ?  
83 An quia proscriptae sum nobilitatis amator  
84 invidiam nobis concitat ille favor ?  
85 Principis egregii laus est succurrere lapsis,  
86 supplicibusque suis ferre libenter opem.  
87 Exutaene bonis, et non aliena petentis  
88 perpeterer turbae pondus abesse precii ?  
89 Non majoribus illud, avo nec Caesare dignum,  
90 saevitia ingenio nec facit illa meo.  
91 Exsulibus favi, memor exsul et ipse fuisse,  
92 meque mei quondam movit imago mali.  
93 At te, quae miseris insultas fronte superba,  
94 maxima fortunae vindicis ira manet.  
95 Quid faceres, si quam meruissent crimine poenam,  
96 causa nec aerumnae civica bella forent ?  
97 Non ita pacatum capiet discordia finem,  
98 quae toties nostris tam male cessit avis.  
99 Crudelis soboles magis, an magis impia mater ?  
100 Crudelis soboles : impia mater erat.  
101 Vos etenim Valachri portus, et littora testes,  
102 qua mare purpureis decolor ivit aquis.  
103 Mosa peremptorum tantum non stratus acervis  
104 visus ad aequoreos tardior ire sinus.  
105 Quin sensere suas et Delphica moenia clades,  
106 Worcomiumque suas, Gorcomiumque suas.  
107 Haec mala non ulli metuent me praeside cives.  
108 Dissidiis finem ponere culpa mea est.  
109 Sive quis a Pesci, seu nomina traxit ab Hamo,  
110 ille, vel hic, cura compare dignus erit.  
111 Objicis et taedas, mulier, tua crimina nobis.  
112 Ex animo, taedas tu scelus esse putas ?  
113 O utinam ; neque enim nunc desolata marito  
114 lugeres vidui tristia damna tori.  
115 Amplexus mors atra tuos livente veneno  
116 abstulit : ille suum concidit ante diem.  
117 Nonne vides ? Fato non sunt tua gaudia cordi,  
118 funestaque venit cum face dirus Hymen.  
119 Tu secura tamen patriae connubia rursus  
120 sollicitas, et te jam novus urit amor,  
121 incestoque tuis certas imponere fulcris  
122 foedere, communis quem tibi jungit avus.  
123 Regia progenies audax in bella Philippus,  
124 Antoni fuerat, Margaridisque parens.

125 Joanni pater est Antonius : at tibi mater  
 126 Margaris, et fratri foedere juncta meo.  
 127 Proxima quam series, amitinaque jungit origo,  
 128 ducere fas illam Pontificale vetat.  
 129 An quia forma placet, quia te tenet improbus ardor,  
 130 cedent sacra tuis jura cupidinibus ?  
 131 Scilicet ut regnet Batavis Brabantus in arvis,  
 132 indigenasque jugo gens peregrina premat ?  
 133 Avertat Deus, et terrarum magnus in orbe  
 134 curio divinas jussus obire vices.  
 135 Signa canant potius. Campis hastata vagentur  
 136 agmina : Durdrehti surgat in arma furor.  
 137 Herculidum ditio, et Wordenae nobile castrum,  
 138 et tu cum Goio milite Narda fave.  
 139 Fallor ? An Oceano demersi conscia Mosae  
 140 Brila mihi, et famulis Rottera cedit aquis ?  
 141 Cedit : et haec omnis comitem me sponte salutat,  
 142 submittitque meis fascibus ora caput.  
 143 Est aliquid causae populos habuisse faventes :  
 144 Caesaris affinem plus meruisse torum.  
 145 Quod cognata negat, thalamus dabit. Ibimus ergo,  
 146 ibimus, et Batavum regna triumphus erunt.  
 147 At tu quae nostram sprevisisti perfida curam,  
 148 (nam pudor est vilis jam tibi) quaere virum.  
 149 Dos tibi sit, sanguis ; lecto sacra carmina, dirae :  
 150 taeda, rogos patriae. Sint rata vota precor.  
 151 Sint rata vota precor, facio quae patruus auspex.  
 152 Bellona thalamum conciliante premas ;  
 153 conjugioque tuo sis non semel ipsa superstes,  
 154 oderis et pejus quae male semper amas :  
 155 tunc quoque cum velles haec irrita federa, durent,  
 156 nec viduae nomen jam viduata feras ;  
 157 et quia vir tibi re nunc est pretiosior omni,  
 158 sis geminis uno tempore juncta viris,  
 159 rursus et, o, rursus, tua, teque libidine perdas,  
 160 et subito sit amans hostis, et hostis amans.  
 161 Plura petis ? Diro peragas in carcere vitam,  
 162 inque tuas clades, cum fugis inde, ruas.  
 163 Sit fortuna levis vultu semel usa benigno,  
 164 sitque Deae constans in tua damna fides.  
 165 Denique cum terras consumpseris, aequora tentes,  
 166 sitque sali eventus, qui fuit ante soli.  
 167 Pauper, inops lateas, rerumque et honoris egena :  
 168 umbra tui restes, et moriari diu ;  
 169 et tua plus solito, ne non te principe possit  
 170 terra queri, pelagi fluctibus arva natent.  
 171 Ipsa parens in te rerum natura rebellet,  
 172 adjuvet et fati tristia fila tui.  
 173 Si potes (ut summo claudatur epistola verbo)  
 174 haec ubi percipies vera, valere, vale.

## HYEMIS COMMODA AD POTTEIUM.

E\_6 v.1 Crede mihi, Pottei, prodest et frigus amanti :  
 2 sum quoque quae nobis commoda praestet hiems.

3 Ver Florae proprium, Cereri sacra dicitur aestas,  
4 vindicat autumnum Bacchus, Amorque gelu.  
5 Ecquid adhuc dubitas ? Inter fera frigora ponti,  
6 aequoreasque hiemes, creditur orta Venus.  
7 Scilicet expulsus fugit ad praecordia fervor,  
8 brumaque vim calidi fomitis intus agit.  
9 Inde Cupidineis agitantur pectora flammis  
10 acrius, atque ipso frigore crescit amor.  
11 Cernis ut ipse foci gravius crepet ardor, et ignis  
12 pugnet in obsessas spiritus ire vias ?  
13 Haec veterum nos scita docent, tu consule fastos :  
14 si vacat, e fastis certior esse potes.  
15 Conveniunt soli genialia festa Decembri :  
16 Saturnalicios possidet ille jocos.  
17 Novimus et Faunum, nutricem novimus Accam :  
18 ultimus est horum qui sacra mensis habet.  
19 Proximus est Jano, qui nulla veste Lupercos  
20 aspicit, inque ipso corpora nuda gelu.  
21 Sunt etiam generis Romana Charistia sacrum,  
22 cum coit ad socias turba propinqua dapes.  
23 Unanimes pariterque viri pariterque puellae  
24 conveniunt, generis conciliante Deo.  
25 Vina juvant, sanguisque juvat ; ferturque Cupido  
26 illo praecipue laetus adesse die.  
27 Quam bene cognati sub nomine nomen amantis  
28 delitet ! Affinem dilige, tuta via est.  
29 Nulla potest cogi caros odisse propinquos :  
30 hunc timet affectum carpere mater anus.  
31 Ecce quod hiberno spectatur tempore caelum  
32 huc facit, et quodvis sidus amare docet.  
33 Quis fuit Aegoceros, nisi Pan Syringis amator  
34 virginis ? Unde suum fistula nomen habet.  
35 Quid referam pisces, quorum haec Venus, ille Cupido est,  
36 magna Syrae genti numina, magna mihi.  
37 "Improbe, quid tentas ?" Latonia dixit ; Orion  
38 pro pretio stellas improbus ille tenet.  
39 Quis Cephee tuos, quis Myrtille nescit amores,  
40 aut Ariadnae splendida sarta comae ?  
41 Haec quoque quae superum sublimis possidet axem  
42 sicca suum semper respicit ursa Jovem.  
43 Juppiter Electramque polo, reliquaque sorores  
44 imposuit : digna est res Jove ; semper amat.  
45 Nunc taurus trepidam fert per vada salsa puellam,  
46 nunc in Tyndarei conjugem ludit olor.  
47 Haec vos scire decet, qui discitis aethera totum,  
48 non hominum vana scribere fata manu.  
49 Dicite Chaldaei, roseis cur vecta quadrigis  
50 tardior hiberno tempore surgat Eos ?  
51 Memnonis illa suum mater complexa maritum  
52 dulcia productae gaudia noctis amat :  
53 jam matutini praesertim frigora caeli  
54 dum timet, in tepidos et fugit usque sinus.  
55 Saepe deae Phoebus, quid, ait, mea tempora perdis ?  
56 Jam dudum repetunt sidera festa diem.  
57 Saepe Aurora Deo, "Quid, ait, mea gaudia turbas ?  
58 Quaere tibi Clymenen, me meus ignis habet."

59 Quid faceret, si jam Cephalo conjuncta jaceret,  
 60 per quam Tithono non licet esse seni ?  
 61 Quam juvat insomnem ventos audire gementes,  
 62 tutaque in angusto membra levare toro,  
 63 et dominam fovisse sinu, si nocte suprema  
 64 frigidus hibernas moverit Auster aquas ?  
 65 Felices quibus ista licent : mihi bruma dierum  
 66 det bona ; sunt animi vota modesta mei.  
 67 Me focus aspiciat dominae circumdare tergo  
 68 brachiolum, et furtim non referenda loqui ;  
 69 et prensare manus, et figere blanda labellis  
 70 basia, et in gremio ponere molle caput.  
 71 Cedite, dicemus, mala frigora : duplice flamma  
 72 cingimur, hinc Veneris stat vir, et inde puer.  
 73 Tunc etiam noster sese felicibus alis  
 74 tollet, et ad caeli sidera surget amor,  
 75 cum mea lux glaciem mecum calcabit, et ibit  
 76 per vada nocturno contabulata gelu.  
 77 Quis putet ? In glacie veros invenimus ignes.  
 78 Fervor in astrictis frigore regnat aquis.  
 79 Quis juvenum primus ferrati vincla cothurni  
 80 nexuit, et rapidis ocior ivitequis ?  
 81 Quis docuit teneras iter hoc glaciale puellas,  
 82 composuitque manus, composuitque pedes ?  
 83 Lubrica sulcatur ferro via, lubrica certe  
 84 est via ab insidiis, parve Cupido, tuis.  
 85 Illo Mercurius posuit talaria viso,  
 86 plus Batavos ipsis fassus habere Diis :  
 87 ipsa quoque ad sollers stupuit Cytherea repertum,  
 88 scilicet et dotes jussit adesse suas ;  
 89 dos Veneris, tarda est, et acutum missile, turba  
 90 spargere per glaciem quae puerilis amat.  
 91 His aliquis tactus sero sua vulnera sensit,  
 92 vulnera nec soleis effugienda suis.  
 93 I puer, haec docto mea carmina defer amico,  
 94 me mea, me glacies, remigiumque vocant.

## AD POTTEIUM ELEGIA.

E\_7 v.1 Carmina perlegi domino te digna locoque,  
 2 qualia Lugduno mittere Musa solet ;  
 3 quae nisi sollicito scirem dictata dolori,  
 4 tranquilli possem credere vatis opus.  
 5 Sic etiam facili cecinit sua tristia versu  
 6 pulsus ad Euxini Naso sinistra freti.  
 7 Sed tamen Arctoi gelido sub frigore plaustri  
 8 nequitiae poenas pertulit ille suae ;  
 9 te pietas, et fata premunt crudelia, nec sunt  
 10 posteriora tibi carmina, causa prior.  
 11 Nam finem sibi damna negant semperque sequendo  
 12 crescit, et in cumulum proficit ipse dolor.  
 13 Scilicet ut possis animo delere sororem,  
 14 eripienda tibi jam quoque mater erat ?  
 15 Tu tamen his major fortunae pectora regno  
 16 subtrahis atque animo praecipis ipse tuo,



17 triste negans quicquid nescit ratione caveri,  
 18 nec mala confessus posse nocere bonis.  
 19 Mens fuit aequata tecum pietate parentem  
 20 exanimem lacrimis condecorare meis.  
 21 Mens fuit et tristes Elegos donare, sed illud  
 22 officium laudes eripuerunt tuae.  
 23 Quis tibi det fletus, nec discat justius abs te  
 24 fortiter ad caros posse dolere rogos ;  
 25 nec natum praeferre viro donataque sanctis  
 26 manibus, hac saltem qua licet astra sequi.  
 27 Otia qui quondam poterat reperire Camenis,  
 28 cum quateret matris viscera dira lues,  
 29 et te teste mali jam desperata jaceret,  
 30 summaque votorum cum foret una mori,  
 31 quanto nunc melius spernes lugere sepultam,  
 32 parte tenet patrium quae meliore polum ?  
 33 Crede mihi, tunc cum tot morbis pervia mater  
 34 languida vix aluit membra, cadaver erat.  
 35 Vivere jam coepit caelo, terraeque reliquit  
 36 exuvias tantum, sed nihil illa sui.  
 37 Nos miseri gens flenda sumus : lugere beatam  
 38 invidiae speciem desipientis habet.  
 39 Nil opus est sacris solacia promere libris,  
 40 omnia quae memori condita mente tenes.  
 41 Humanae siquid poterunt tamen addere curae,  
 42 consilio sit, et huic quantulumcumque fides.  
 43 Funereas moneo taedas mutare jugali,  
 44 sanguinis ut thalamo damna repenset amor.  
 45 Jam desolatas reparat nova nupta penates.  
 46 Haec soror, haec conjux, plusque erit una tibi.

EPISTOLA PALLADII AD THAUMANTIAM PATRI SUO NUBENTEM.

E\_8 v.1 Sume, novercales sed si prius exuis iras.  
 2 Est haec Palladii littera scripta manu.  
 3 Nec volo te falli, non est manus ista mariti :  
 4 spes tamen, heu memini, cum fuit ista mihi.  
 5 Et fuerat fortasse tibi, nisi crimina tantum  
 6 perfidiae fictus dissimulavit amor.  
 7 Quid queror, aut quorsum ? Nec quid prodesse querelae  
 8 jam possint video, sed tamen aequa queror.  
 9 Perdidimus vires odii, solamen amoris :  
 10 perdidimus pariter teque tuamque fidem :  
 11 omnia consumpsi ; levis est jactura querelae,  
 12 si cui nil praeter verba perire potest.  
 13 Juro, tibi toties juratum numen Amoris,  
 14 juro tuam vitam, vita, tuumque caput,  
 15 blanditiasque tui vultus, oculosque loquaces,  
 16 et quicquid melius te meminisse putem.  
 17 Nec potui sperare nefas, nec credere possum,  
 18 sed videor somnis invigilare meis.  
 19 Ille recens luctus se non capit : omnia tento,  
 20 indignor, dubito, deprecor, oro, queror.  
 21 Ah leve femineum semper genus ! Illane quondam  
 22 basia dicta mihi qui ferat alter erit ?

23 Atque utinam quivis non tam mihi proximus alter ;  
24 in socio majus crimine crimen habes.  
25 Si libuit peccare tibi, sine patre licebat.  
26 Invidia causam praegravat ille tuam.  
27 Hoc mihi quod nostros simul incestatis amores  
28 hoc dolet, haec irae maxima causa meae.  
29 Si tamen, o possim satis hoc odisse quod odi,  
30 quid faciam, in tanto vulnere laesus ? Amo.  
31 Ipse dabit veniam pater, aut peccavimus ambo.  
32 Hoc ego rivali iudice tutus ero.  
33 Compare iudicio placuit tua forma duobus :  
34 jure quidem melior causa prioris erat.  
35 At nunc ille meos oculos, mea vota secutus,  
36 tantum degenerem non probat esse sibi.  
37 Nil ego commisi, nisi quod constanter amavi.  
38 Haec quoque, si qua fuit, non mea culpa fuit.  
39 Nam tua tam blandae quem non cepisset imago,  
40 et teneri risus, aptaque verba joco ?  
41 Quis non amplecti graciles desideret artus,  
42 et tam purpureis basia ferre genis ?  
43 Adde, quod ingenio cunctis praelata puellis  
44 hac quoque non stultis dote placere potes.  
45 Fecit et hoc ut amem, quod me quoque rebar amari :  
46 heu nimium juvenes credula turba sumus.  
47 At quis non lacrimis oculisque fatentibus ignem  
48 crederet et verbis muneribusque tuis ?  
49 Oscula non referam pressis haerentia labris,  
50 et niveum pectus, virgineosque sinus,  
51 pluraque quae vidi nondum bene visa parenti  
52 praetereo : tangi vulnera nostra negant.  
53 Justior erroris fuit excusatio nostra,  
54 quod mihi non soli sit simulatus amor :  
55 conscia scit genitrix, quae cum te saepe moneret.  
56 Complexus fugeres, alloquiumque meum,  
57 cautior aut saltem, si non immitior esses,  
58 audiit hoc unum, non patienter, "Amo".  
59 Quo gemitu nostras tuleris, qua fronte tabellas,  
60 scit soror, officiis fida ministra meis.  
61 Me quoque felicem cari dixere sodales,  
62 et placui vulgi suspicione mihi ;  
63 nec tamen assensi, leviter mea vota negavi,  
64 cumque alios vellem fallere, falsus eram.  
65 Est mihi plus auro spectandum munus, an arte,  
66 quod demptum dextrae fert mea dextra tuae.  
67 Tu mihi (nam poteris demi prohibere) dedisti.  
68 Tunc quoque, cum finxi reddere, tristis eras.  
69 Forte puellares inter mihi juncta choreas,  
70 ausa palam pignus dissimulare tuum :  
71 "Hoc, ais, unde tibi ?" Spolium, non ambigo, carae  
72 virginis, aut cupidae munus amantis habes.  
73 Hoc ego sub vinclo socialia vincla recordor,  
74 illaque quae tulerant brachia pacta mihi.  
75 Nec minor asscriptas servat mihi cura tabellas,  
76 te fore pollicitas tempus in omne meam :  
77 has ego pro domina complector et oscula jungo,  
78 has comites nostrum semper habebit iter.

79 Hei mihi, quod pariter nequierunt verba teneri,  
80 voxque sibi gemitu testificata fidem.  
81 Qua te non alios juvenis sperare lacertos,  
82 primaque jurabas gaudia ferre mihi :  
83 tradita quae ventis et trans mare vecta Britannum  
84 tam procul, heu, nullo sunt reditura die.  
85 Crede mihi, constant nulli perjuriam gratis,  
86 crede mihi ultorem res habet ista Deum.  
87 Audio jam vestros morbo flagrare penates,  
88 et praetentatum funere virus ali :  
89 quod metuo dicam : sint omnia vana timori ;  
90 perfidiae poenas exigit ista lues.  
91 Parcite formosae, fatales parcite flammae ;  
92 non ego sum tanti ; sit metuisse satis.  
93 Cui tamen heu parco ? Quae me furiavit amantem,  
94 simplicitas nuper cui mea ludus erat.  
95 Usque adeone tuis igitur res digna triumphis  
96 figere de nostro corde tropaea fuit ?  
97 At puer et certe rudis haec ego miles ad arma,  
98 nullus et a tanta prodicione metus.  
99 Vix dum terna mihi quinquennia fecerat aetas,  
100 jamque quid esset amans nescius, istud eram :  
101 insidiata mihi teneris tu protinus annis ;  
102 seu levis ille fuit, seu simulatus amor.  
103 Perfida, quid merui ? Tibi quod primordia flammae  
104 laesaque non alio corda calore dedi ?  
105 Hei mihi cur umquam Tungrorum venimus urbem,  
106 conjugii festas concelebrare dapes ?  
107 Depositum fatale, meae thaumantia curae  
108 credita, nec solum nos sociavit iter ;  
109 haerebam lateri comes, et tibi nostra vacabant  
110 lumina, te nostrae sustinere manus.  
111 Inde mali labes ; in me sine fraude Cupido  
112 integer, et praesens cum face venit Hymen.  
113 At tibi Tisiphone succendit corda veneno,  
114 impressitque suas dira Megaera faces.  
115 Pallida me macies, gemitusque e pectoris imo  
116 prodit, et injussae quae maduere genae.  
117 Ingenii nec cura mihi, sed triste veterum  
118 obsidet, et residis pectora torpor habet.  
119 Tu prohibes animo solitas evolvere leges,  
120 juraque discentem sub tua jura vocas.  
121 Noctes atque dies tua me, tua semper imago  
122 opprimit ; os nomen murmurat usque tuum.  
123 Tu tuoque dicebas sine me tibi rara venire  
124 somnia : purpuerus tinxerat ora rubor.  
125 Complexus etiam similes, et proxima veris  
126 oscula narrabas, spemque fidemque tori :  
127 omnia quae mentes poterant flexisse seniles,  
128 et puto non aliis succubuisse patrem.  
129 Dic age, quid tandem tibi me mutavit amantem,  
130 dic age, dissidii quae tibi causa fuit ?  
131 An quia conjugii dispar fortuna videtur,  
132 hic tibi qui fuerat pectore cessit amor ?  
133 At nec opes, nec honos, generis nec gloria distat :  
134 tota sed aequali pondera lance sedent.

135 Sed tua quae levitas, nato praeferre parentem  
136 non dubitat, juvenem postposuisse seni.  
137 Me certe terrere domus tamen omina vestrae  
138 debuerant, caecus ni vetuisset amor.  
139 Nescio quae totam gentem scelerata libido  
140 exagitat : furiis hi placuere lares.  
141 Nam cui non audita soror, funestaque raptus  
142 crimina et infaustae saeva pericla fugae ;  
143 inde novum semper scelus et trucidis ausa mariti,  
144 illaque certatum pejor an ille foret ?  
145 Fecimus exemplum cunctis memorabile saeculis ;  
146 affines isti dum juvat esse domo :  
147 pugna patri natoque fuit, communia cum quo  
148 proscriptus generi nomina ferret Arabs.  
149 Hos igitur propter genitor certavit amores,  
150 amplexusque sui maluit esse suos.  
151 Nec tamen hunc culpo (quis enim culparet amantem ? )  
152 Debuerat quamquam non aliena sequi ;  
153 aut quasvis potius quam nati quaerere taedas,  
154 et si non aliis, parcere velle mihi ;  
155 tu magis una nocens, quae, si moda vera feruntur,  
156 diceris ipsa meum sollicitasse patrem.  
157 Expertus didici quae sint quibus uteris artes,  
158 et quibus illecebris concilietur amor.  
159 Non ego, non fueram satis in tua vulnera solus :  
160 pergis, et ex tota gente tributa petis.  
161 Gratulor inventum qui me felicior esset,  
162 nec quoscumque tibi displicuisse viros.  
163 An non ipse tibi, sed opes, et luxus, et illa  
164 marmora surgentis grata fuere domus ?  
165 Et quod contiguos despectans culmine fontes  
166 invidiae nimia mole laborat opus ?  
167 Qui matri properatus honos tibi cessit in usum :  
168 illa tibi fecit, proh dolor, illa locum.  
169 Sic mihi successit genitor, thaumantia matri :  
170 ut viduus fierem, scilicet orbis eram.  
171 Consequor, heu, quantum genitricis morte dolorem,  
172 in nece materna plus mihi matre perit.  
173 Me malefidus amor privignum fecit amantem,  
174 et faciet patrem, quem potuisset avum.  
175 Nec pridem sperata nurus jam diceris uxor ;  
176 pro cara fratres tu mihi prole dabis,  
177 cumque puer nostra reptabit parvulus aula,  
178 audiet, hic patri debuit esse nepos.  
179 Haec ego si ferrem saxis et cautibus essem  
180 durior, hiberna quas mare tundit aqua.  
181 Nec volo, nec possum. Mene ut praesente paternos  
182 tu nova nupta premas et patiente toros ?  
183 Injiciam nec jure manum ? Nec foedere noctem  
184 evincam ? Pulchros involet ille sinus ?  
185 Ergo novercalis nos pars aliquantula regni  
186 imperium veteris triste feremus herae ?  
187 Ibimus atque Istri potius sulcabitur amnem.  
188 Non erit ingenio saevior ille tuo.  
189 Nec metuo, quamquam metuo quoque, tela, nec undas :  
190 dum te non videam, cuncta pericla placent.

191 Tum si forte tuas continget nuntius aures  
 192 ossa peregrino nostra jacere solo ;  
 193 fac genitor jam morte mea securus amorum  
 194 gaudeat : hac illi nubere dote potes.  
 195 Si me vita tamen cupiet servare dolori,  
 196 haec mandata tui nuper amantis habe :  
 197 me rogo, siqua manent veteris vestigia flammae,  
 198 quantum per thalami jura licebit ames.  
 199 Nec volo te Phaedram : satis est odisse noverca  
 200 parcius : heu voti sors miseranda mei !  
 201 Cum senis in thalamos fueris deducta mariti,  
 202 et vacua vidui parte recepta tori,  
 203 dic, rogo, sed leviter, prior est ubi noster amator  
 204 qui me jam poterat sic habuisse sibi ?  
 205 Sic te semper amet novus ille maritus, et illum,  
 206 heu, melius quam me tu quoque semper ames ;  
 207 sic quoque non fingas, qui non bene fingitur, ignem,  
 208 nec tuus hoc ipso more vacillet amor.  
 209 Sic mihi des fratres similes mihi, dispere fato :  
 210 sic mihi sit de te, sed bene fida, soror.  
 211 Deficio, maduere genae, stant vertice crines,  
 212 exanimi gelidus concutit ossa tremor.  
 213 Haec quoque scripta vides confusi signa doloris,  
 214 litteraque affectus exprimit illa meos.  
 215 Da veniam. Dictavit amor. Facit ille, quod ipsa.  
 216 Forte parum metuit libera carta loqui.  
 217 Plura velim, sed plura vetat reverentia patris,  
 218 irrita spes, animi fax vetus, ira recens.  
 219 Rectius abrumpam : vox finiat una tabellas,  
 220 discessusque mei sit tibi summa. Vale.

IN PASCHA, QUI NATALIS VIGESIMUS TERTIUS.

E\_9 v.1 Vera Dei soboles, homines quem credimus una  
 2 nobiscumque hominem, cumque parente Deum,  
 3 non modo, qui tristes sub iniquo iudice poenas  
 4 luximus, et nigrum te moriente diem,  
 5 (seu puduit solem Domino pereunte videri,  
 6 seu fuerat nostri criminis ille color)  
 7 oramus, jam parte tui dignare triumpho,  
 8 dum novus inferno victor ab hoste redis.  
 9 Mors sequitur captiva ; jacent disrupta sepulchri  
 10 vincula : sidereae jam patuere fores.  
 11 Ungere quid Christum muliebris turba parabat ?  
 12 Illum, si nescis, unxerat ante Deus.  
 13 Tura quid hic facient, et quos affertis odores ?  
 14 Suffimen patri gratius ipse fuit.  
 15 Quaeritur in tumultu vitae lucisque repertor :  
 16 hoc peccata loco condita nostra jacent.  
 17 At quem vos clausum tam parva sede putatis,  
 18 non mare, non tellus, non polus ipse capit.  
 19 Surgit mane novum dum pulchrior ille resurgit,  
 20 et cum lucis hero lux reparanda venit.  
 21 Scilicet ut mortem tenebris signaverat aether,  
 22 sic comes in vitam debuit esse dies.

23       Aspicis ut primo radiant convexa sereno,  
24            floribus ut teneris luxurietur humus ?  
25       En Christus pariter, pariterque renascitur annus,  
26            auctori plaudunt tempora laeta suo.  
27       Tum rosa quae pratis late viridantibus ardet  
28            forsitan innocui signa cruoris habet.  
29       Me quoque cum Domino simul et cum floribus ortum  
30            cur ego non ista gratulor esse die ?  
31       Isacidae Pharia domiti sub lege jacebant  
32            ipsaque libertas sub pede regis erat.  
33       Qui posset veteris patriae sperare quietem,  
34            et Cananaea procul pascua, nemo fuit.  
35       Ista dies Mosem justas animavit ad iras,  
36            cum raperet festas azyma sacra, dapes.  
37       Fortes ite, viri : quas nunc tener occupat agnus,  
38            quas mox conficient quantaque bella manus !  
39       Exitium video regi quam triste parari,  
40            purpurea vobis cum mare stabit aqua.  
41       Nil desperandi, sed nobis auctor Iesus  
42            certior, exanimus qui modo corpus erat.  
43       Frigida membra crucem referunt ; quae vulnera mater  
44            contigit, hostili vulnera facta manu.  
45       Quid tibi tunc animi dicam, pia virgo, fuisse,  
46            infelix, sub humum cum tuus iret amor ?  
47       Quo non ille senex turpavit pulvere canos,  
48            qui reus aligero teste peractus erat ?  
49       Tertia lux omnem detergit corde dolorem,  
50            tristitiae veteri nec sinit esse locum.  
51       Custodes trepident, plebes pia gaudeat ; ipse,  
52            ipse remolitus pectore saxa venit.  
53       Hoc jubar, hoc alba juvenes in veste loquuntur,  
54            quos bonus aetherea misit ab arce pater.  
55       Sic quoque disjectis, quae nunc est forma, recurret  
56            ossibus, et cineres vita secunda manet ;  
57       debemusque nihil leto, nisi temporis usum :  
58            altera pars nostri restat, et ista redit.  
59       Qualis cinnamomeo phoenix juvenescere busto  
60            creditur, in terris unica semper avis,  
61       in veterem cuncti mundo flagrante figuram  
62            ibimus, aetherea gens reparata tuba ;  
63       tunc cum justitiae medius veniaeque sedebit  
64            arbiter, in clara praemia nube ferens ;  
65       consumptisque simul terris et fluctibus, ignis  
66            in se constituet fata suprema sibi ;  
67       aeterni quae prima dies erit, ultima mundi.  
68            Felicem nobis hanc Deus esse velit,  
69       detque prius mentes quam corpora nostra renasci,  
70            et stet pro vita posteriore prior.  
71       Non aliud purae spondent mysteria lymphae,  
72            terque sacer pueri fusus in ore latex.  
73       Quamquam etenim magnis vitiorum immergimur undis,  
74            per Christum vitiis libera turba sumus.  
75       Haec ubi sic repeto, tum me quoque veris imago  
76            immemorem veris non sinit esse mei.  
77       Quam modo coepta ruit, quam mox abitura juvenus ?  
78            Hei mihi, quot noctes, quot periire dies ?

79 Apposuit geminos lustris mihi quattuor orbes  
 80 per bisseua regens sidera Phoebus equos.  
 81 Annum, qui sequitur cum primo flore genarum,  
 82 hunc tibi, summe parens, et tibi, Christe, dico.  
 83 Sanctior adveniat, quam retro volvitur aetas,  
 84 vindicet ex illa tempora plura labor.  
 85 At tu, natalis, nostrorum prime dierum,  
 86 da veniam quod te non colo, sacra colo.  
 87 Non vacat a tantis in te descendere curis :  
 88 plus aliquid vita lux dedit ista mihi.  
 89 Ille meas habeat, qui me quoque possidet horas :  
 90 scilicet ille dedit te quoque posse frui ;  
 91 bisque suum fecit, cum me produxit in oras  
 92 luminis, et pretium cum fuit ipse mei.  
 93 Concelebrent alii genialis fercula mensae,  
 94 quos juvat, et secum nata Falerna bibant ;  
 95 carminaque ingeminant lepidis applausa choreis :  
 96 nos trahit antiquae relligionis iter.  
 97 Nec jejuna tamen laeti solemnia sacri  
 98 ducimus, aut epulis gaudia nostra carent.  
 99 Frangimus arcanum Christi sub imagine corpus ;  
 100 hae reparant animos fessaque corda dapes.  
 101 Nec tunc cum pastus senis in castra diebus  
 102 depluit, Hebraeis dulcior ille fuit.  
 103 Inde salutiferi libantur sanguinis haustus,  
 104 et sedant nostram pocula sacra sitim.  
 105 Tradidit hos ritus humanis dedita noxis  
 106 victima, jam poenas certa subire suas.  
 107 At pia posteritas morem servamus avitum,  
 108 jussa piatricem commemorare necem,  
 109 Carmina nec desunt gratam testantia mentem,  
 110 cum junctae feriunt sidera summa preces.  
 111 Haec mihi, nam satis est, superet, pater alme, voluptas,  
 112 et meus auspiciis talibus annus eat.

## DE SUSANNA.

E\_10 v.1 Cum decus Hebraidum Susanna, pudoris imago,  
 2 suplicii peteret jam moritura locum,  
 3 ante deus vatis juvenis quam proderet ore  
 4 conjuratorum perfida facta senum :  
 5 non poterat niveas (stringunt quia vincula) palmas,  
 6 lumina sidereo sustulit illa polo,  
 7 Lumina quae cunctas potetant inflectere mentes.  
 8 Tam rutilum flagrant, tam juvenile micant.  
 9 Illa quidem lacrimas retinet, tamen usque retentae  
 10 prorumpunt, quali fons salit altus aqua.  
 11 Et poterant pariter pugnancia bina videri,  
 12 mirus honos animi, mirus in ore pudor.  
 13 Non pallor faciem vicina morte notavit,  
 14 perpetuo tenerae sed rubuere genae.  
 15 Integra mens scelerum, leto nil mora futuro,  
 16 dumtaxat famae tristia damna timet.  
 17 Venerat ad lapides (ea poena parata jacebat) ;  
 18 flet populus : cunctis flentibus illa refert ;

19 vos primum, proceres, laudo, quos incluta genti  
20 Isacidum posuit reddere jura Deus,  
21 quod paribus poenis hominum delicta piatis,  
22 legifer ut Moses, ut Deus ipse jubet.  
23 At melius, sceleris quamvis ego pura, peribo,  
24 securum posthac quam scelus ulla ferat,  
25 quae violans promissa Deo, promissa marito,  
26 exuit infami foedus adulterio.  
27 Hoc igitur nostras crimen quoque personat urbes ?  
28 Hocne piam gentem, sepositamque Deo,  
29 polluat ut totam patirer cum corpore mentem,  
30 quae ferat Abramum femina neptis avum ?  
31 Non hic sufficiunt lapides, non horridus ensis,  
32 non crux, usturi non fera membra rogi,  
33 non sacri latices, moechas qui crimine damnent,  
34 aut timidos purgant suspicione viros.  
35 Spernere siqua Deum potuit, supponere prolem,  
36 fallere conjugium, commaculare domum,  
37 quattuor ut possit culparum solvere poenas,  
38 aequo jure quater debuit illa mori.  
39 Nunc vos huc properate duo, faciantque cruentae,  
40 perfida fecerunt quod prius ora, manus.  
41 Exsatiare truces insonti sanguine motus :  
42 vos ictus primi, vulnera prima vocant.  
43 Sic castas tetigisse licet ; spes improba vobis  
44 quam male promisit, sic potienda datur.  
45 Nam neque vos umquam nec quicquid ubique virorum est  
46 sivit ad haec aliter membra venire fides.  
47 Ut libet hanc frontem, malas, et labra ferite ;  
48 imprimis oculos vestra sed ira petat :  
49 hi sunt obscaenos vestris qui sensibus aestus  
50 nuper et illicitas inseruere faces.  
51 Quantumvis populus, quantumvis curia vobis  
52 credit, habet testes et mea causa suos.  
53 Stat Deus hinc, stat mens nullius conscia culpae,  
54 et jurant, istud crimen abesse mihi.  
55 Tu mihi, vir, salve, vitae lux unica nostrae,  
56 spesque mihi, donec spes super ulla fuit.  
57 O utinam saltem supremos ferre liceret  
58 amplexus, et post oscula pauca mori !  
59 Arceat haec saltem nobis opprobria caelum,  
60 ut vincant animum crimina falsa tuum.  
61 Si bene te novi, quam tantum semper amasti,  
62 credit in hac nullum mens bene fida nefas.  
63 Nunc tibi, nunc animo communia vota repone,  
64 et patiter caelum, quae petiere preces.  
65 Pende, quod obsequium, reverentia quanta mariti,  
66 ut tutata tuam sit mea cura domum.  
67 Excubiae semper geminae mea corda tegebant,  
68 hinc pietas, illinc connubialis amor,  
69 noctes atque dies animum servantibus istis,  
70 dic, vetitis flammis quis locus esse potest ?  
71 Crede, tua ut vixit, tua sic Susanna peribit :  
72 jamque mihi posthac non adeunde vale.  
73 Sed precor hoc unum : tumultum concede peremptae.  
74 Et versus, miseram quod juvet, adde duos.



75 Hospes, siste gradum : jacet isto femina busto,  
76 quam dicit iudex, vir negat esse ream.